

Locus secundus.

§. 18. De viribus liberi arbitrii, quæ post lapsum sunt nulla adeò, ut corruptus abominabilis & inutilis prorsus sit miser homuncio, omnesq; propalam fateri cogamur servi inutiles sumus Luc. 17. v. 10. Non ergo te jactes, inquit Ambros. lib. 8. in Lucam tom. 5. si bene servisti, quod facere debuisti: obsequitur sol, obtemperat luna, serviunt angeli & nos ergo non à nobis laudem exigamus: prospexit enim Dominus elevatus ille super omnes Deos; Prospexit de Cælo, hoc est, de sede sanctitatis suæ; prospexit super filios hominum, quorum vel cogitatio prava est à juventute Gen. 6, v. 6. prospexit super mundum, at totus ille in maligno positus est, 1. Iohan. 5. v. 19. prospexit super declinatores, qui cum essent in casu recto sive Nominativo, hoc est innocentes, nominati, honorati, ornati, declinaverunt per luxuriam in Genitivum, per prodigalitatem in Dativum, per insidias in Accusativum, per pravos mores in Vocativum, per amorem rerum temporalium in Ablativum. O Grammaticos futiles! O servitores inutiles! Eat Pelagius & peccatum in oculis Dei damnabile non existimet: Omnes declinaverunt! Eant patres Tridentini & liberum arbitrium post lapsum non prorsus amissum & extinctum esse contendant: omnes declinaverunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum: Eant omnes Papistæ, qui qualem qualem legis perfectionem aut impletionem, hac in vita sibi arrogant. Eant Synergistæ & modiculum, aptitudinem, capacitatem & quid non? urgeant; omnes declinaverunt, non est intelligens, non est requirens Deum! Non enim probanda est nonnullorum Synechdoche, omnes declinaverunt, id est, multi in omnibus ordinibus, quæ Synechdoche, vel Victorino Strigelio iudice, tetrum & horribile mendacium est, quo & iudicii divini severitas & magnitudo misericordie obscuratur.

Locus tertius.

§. 19. De radice & origine omnium peccatorum, quæ est ignorantia Dei sive incredulitas, de qua verissima est Theologorum ma-

B

xima: